

**Enchiridion Piarvm Meditationvm In Omnes Dominicas,  
Sanctorvm Festa, Christi passionem, & cætera**

**Busaeus, Johannes**

**Mogvntiæ, M. DCVI.**

18. In die Paschæ, de apparitione mulieribus facta Marci 16.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70978](#)

DOM. TOTIVS ANNI. 37

sericordiæ exerces; & palmarum, cum vi-  
ctoriam extentatione reportas. Canis au-  
tem Osanna, quando eius beneficia agno-  
scis, laudas & prædicas. 2. considera, sum-  
mum honorem hunc paulò post à populo  
in summum dedecus mutatum. Hodie ho-  
norant eum suis vestibus, post spoliabunt  
eum propriis, & illudent ueste aliena. nunc  
colunt ramis arborum, frondibus & flori-  
bus, tunc ramis crucis, spinis, clavis & vir-  
gis: nunc acclamant, *Benedictus*, tunc ri-  
debunt eum, conspicient, & acclamabunt,  
crucifigatur: nunc honorificè in urbem re-  
cipiant, tunc cum dedecore cruce onu-  
stum eiificant.

IN DIE PASCHÆ.

*De apparitione mulieribus facta.*

Marchi 16.

**C**ONSIDER A quomodo anima Chri-  
sti, postquam triduo solata est S. Pa-  
tres in limbo, in sepulchrum ingressa cor-  
pus resumperit, & summa luce illustra-  
tum, fulgentibus imprimis manuum pe-  
dumque vulneribus eduxerit, ut nobis cer-  
tam spem daret nos similiter resurrectu-  
ros, si hic exuto vetero homine in nouitate  
vitæ ambulamus, & carnem crucifigamus

C 4 CUM

40 MEDITATIONES IN

cum concupiscentiis: Passus enim est pro nobis & resurrexit, & sequamur vestigia eius.

1. Summo mane ad monumentum profectae sunt, Maria Magdalena, Iacobi, & Salome, inter se dicentes. (*Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?*) Considera primo, charitatem summam mulierum. Viderant Christum in cruce expirantem, sepulcro clausum reliquerant, idem milite obselsum sciebant, nec aliud, quam incrementum doloris aspectu corporis secuturum norant, tamen extrellum hoc officium illi deferre voluerunt, ut vngarent. *Verus enim amor,* ait Chrysologus, *nihil asperum, difficile, vel impossibile putat.* 2. Considera, eas, licet dubitarent, quis reuolueret tam grandem lapidem, tam pergere, quia in Deo fidebant, ut discas, etiam si dum cepisti vitam emendare, vel mundum relinqueret, difficultas in lapide pœnitentiae mouendo occurrat, vel timor ut non perseueres in proposito, non diffidere; fidenti enim mox aderit angelus, qui remoueat lapidem, id est, omnem difficultatem.

3. Viderunt lapidem reuolutum, & angeli dictum audierunt. (*Iesum queritis Nazarenum crucifixum? Surrexit, non est hic.*) Considera

sidera post Christum resuscitatum, angelum reuoluisse lapidem, & sedisse super eum, vt discas postquam semel exierimus ē sepulchro peccati mortalis, debere deinceps sedere super lapidem, id est, carnem nostram comprimere, & subiugare, ne iterum nos derudat, vel concludat in sepulchro; Christus enim ita surrexit, vt in sepulchrum non redierit. 2. considera, sepulchrum, in quo erat corpus Christi, designare altare, in quo mysterium corporis & sanguinis Domini conficitur. Vnde si dignè ad hoc vis accedere: vide ut exemplo trium seminarum odorifera virtutum aromata, & suavis vnguentum orationis tecum deferas. 3. angelica consolatione dignos, qui cum debita præparatione, & deuote corpori Christi communicant, & ad loca sacra, vbi reliquiæ Sanctorum sunt, peregrinantur.

## FERIA II. PASCHÆ.

De apparitione 2. discipulis facta.

LUCÆ 24.

CHRISTVS apparuit duobus discipulis 1.  
cum irent in Emmaus, & de ipso colloquerentur,  
mœsti & tristes. Considera primo, cur  
Christus adiunxerit te illis. Id enim fe-

C S cit,